

Annotationes istae sane permultum augeri possent. Consulendae essent singulae editiones Statutorum, per decursum historiae. Perlegendi essent libri a sodalibus Ordinis olim descripti in quibus media sanctificationis describuntur. Nullo modo proinde ignotum est, annotationes a nobis in his paginis propositae valde summarias esse et materiam neque a longe quidem exhaurire. Optamus vero annotationes has sufficientes esse ut constet in hac materia facile inveniri posse campum inquisitionum, quae tum vitam iuridicam Ordinis, tum vitam moralem ac stricte supernaturalem sodalium Ordinis sumopere illustrare natae sunt.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Inquisitiones in "Vitam" B. Hermannii Ioseph.

B. Hermannus Ioseph, cuius beatificatio et canonizatio ex parte Ecclesiae proxima exoptatur a permultis, floruit medio saeculo duodecimo et saeculo insequenti. Membrum erat gremii monasterii Steinfeldensis. « Vita » valde antiqua huius Beati existit. Sicuti autem pro omnibus « vitis » antiquis Sanctorum, et heic, quaestio institui potest ac debet de valore stricte historico eorum quae in « Vita » illa referuntur. Anno autem 1942, sac. K. Koch thema modo indicatum assumpserat, sub forma dissertationis conscriptae ad acquirendum Doctoratum in Universitate Bonnensi, sub titulo: « *Die Vita des seligen Hermann Ioseph von Steinfeld, ihre literarische Abhängigkeit und die geistiger Standort* ». Dissertatio illa manuscripta remansit; et antequam auctor Koch dissertationem illam, hinc inde nonnihil limatam, edere potuit, e vivis ereptus fuit. Koch conatus erat « Vitam » illam legere et diiudicare in et ex ambiente historico et litterario in quo orta et conscripta fuerat. Et hac ratione plura proponere potuit — necessariis et utilibus probationibus ac illustrationibus additis — quae multum luminis afferunt pro recta perspectione elementorum quibus tunc praecise sanctitatis ratio et media illam consequendi concipiebantur in monasterio Steinfeldensi. Fructus inquisitionum K. Koch feliciter non fuerunt vanae. Nam recenter Prof. Dr. E. HEGEL, professor in Universitate Monasteriensi (Münster), de eodem themate scribere incepit, proxime inhaerens iis quae a Koch perspecta erant. Prof. Hegel publici iuris fecit articulum: *Die geistige und religiöse Welt einer Eifel-Abtei im Hochmittelalter*.

Eine Quelle zur Frömmigkeitsgeschichte der Steinfelder Prämonstratenser, in *Trierer Theologische Zeitschrift*, LXVI, 1957, pp. 298-311.

Cum autem hac ratione *publici iuris* factae sint inquisitiones valde instructivae (dicimus: *publici iuris*; nam in scriptis confectis in ordine ad exoptatam beatificationem B. Hermanni Ioseph jam de valore obiectivo « *Vitae* » Hermanni, fuse et scite tractatum erat), censemus contentum articuli Prof. Hegel mereri plus quam brevem relationem in Chronico horum Analectorum. Praecipua ergo in hoc articulo contenta libenter plus minusve fuse referimus.

Monasterium Steinfeldense non a Praemonstratensibus stricte fundari debuit. Iam ante fundatum nostrum Ordinem existebat. Duce Praeposito Evervino, monasterium Steinfeldense sese Ordini Praemonstratensi aggregavit, paulo post annum 1120.

Patet autem Steinfeld inde ab initiis communitatem vere florentem constituisse. Iam sub primo suo praeposito, Evervino, fundavit canonias Strahoviensem et Siloensem. Sub secundo Praeposito, Udalrico (1152-1170) fundavit Steinfeld duo alia monasteria: Hortum sanctae Mariae, in Frisia, et canoniam Saynensem in regione Rhenensi. Quattuor monasteria Monialium Praemonstratensium praeterea a Steinfeld moderabantur. Duo dicti Praepositi vere erant viri eximii. De primo, Evervino, notum est ipsum commercium epistolare habuisse cum S. Bernardo. Existit fusa collectio epistolarum praepositi Udalrici. Mirum proinde non est in antiquis annalibus Horti Sanctae Mariae haec legi: « Ordo noster... magno fervebat zelo... maxime in Steinveldensi ecclesia, quae nullam habuit vel habet in religione secundam ».

De praeposito Udalrico narratur ipsi concreditam fuisse praedicationem instituendam in Capitulo Generali Ordinis Cisterciensium. Udalricus iste relationes frequentes habuit cum Ordine Cisterciensi.

In tali ambienti spirituali florentissimo, Hermannus Ioseph vitam suam transegit; in eodem ambiente « *Vita* » Hermanni conscripta fuit. Et quidem « *Vita* » ista vere illustrat rationem spirituales vivendi et fontes in quibus tunc Steinfeldenses victum suum spirituales libenter quaerebant.

« *Vita* » Hermanni Ioseph conscripta fuit ab aliquo canonico ignoto Steinfeldensi, versus medium saeculum decimum tertium.

Cursus vitae Hermanni ita perpaucis indicari potest, iuxta illa quae in « *Vita* » illa describuntur. Hermannus, cui postea nomen

Ioseph additum fuit, natus est Coloniae versus annum 1160. Iam a pueritia, pietati sese maxime dedit; potissimum Deiparae devotus erat. Annos duodecim natus, in Steinfeld receptus est; formationis profundioris gratia missus est ad monasterium Horti Sanctae Mariae in Frisia. In monasterium Steinfeldense reversus, prius refectorii servitio addictus, postea sacristiae inserviens est. Interim servitia sacerdotalia praestat in vicinia abbatiae, semel iter instituit in Coloniam, ad acquirendas reliquias SS. Ursulae et Sociarum. — In altera parte « Vitae » exponitur quomodo ultimas hebdomadas vitae suae transegerit in monasterio Monialium Cisterciensium, in quo moritur feria quinta post Pascha. Moniales vero exuvias Beati Ecclesiae Steinfeldensi concedunt, post interventum archiepiscopi Coloniensis. Occasione sacri corporis translationis, et postea, apud sepulcrum in Steinfeld, varia miracula fiunt.

Merito inquiritur quidnam Auctor « Vitae » revera intenderit. Cum desint indicationes plures relate ad annos nativitatis et mortis, ad varia loca in quibus partem vitae suae transegit Hermannus noster, sequitur auctorem scripto suo non intendisse componere biographiam stricte dictam. Agereturne ergo de « legenda »? In qua « sanctus » quidam exhibetur secundum schema quoddam abstractum, fere aprioristicum, personae nempe quae nihil aliud fuit quam instrumentum quo Deus manifestavit suam omnipotentiam infinitam? Examen « Vitae » ostendit tale quid admitti non posse. « Vita » ista scripta est proinde iuxta genus litterarium quoddam intermedium inter biographiam stricte dictam et meram « legendam ». Auctor vere intendit opud quoddam personale componere, non confectum secundum schema quoddam mere theoreticum. Hoc sequitur ex motivis quae in expositione eius deprehenduntur. Idem sequitur ex relationibus quas auctor exhibet ad themata theologica suae aetatis. Virtutes quae Hermanno adscribuntur systematice pertractantur; non quidem secundum terminologiam stricte theologicam illius aetatis, sed iuxta themata tunc potissimum pertractata exhibentur. Idem de modo quo visiones Sancti nostri proponit; de modo quo loquitur de Assumptione Deiparae. Quaestiones ad theologiam spectantes respicit secundum modum potius mysticum praeplacentem S. Bernardo; sci- mus autem Bernardum in summo honore habitum fuisse in Steinfeld, eo vel magis quod Hermannus noster saepe adiumenta spiritualia prae- buit in conventibus monialium Cisterciensium. Uterius animad- vertitur similitudo et forte dependentia auctoris « Vitae » ab operibus

Caesarii Heisterbachensis (quod nos ducit ad idem ambiens potius mysticum quam speculativo-rationale, in considerandis et pertractandis veritatibus fidei). Caesarius iste multa narrat de apparitionibus Domini et Deiparae.

Alius fons e quibus themata religiosa illius aetatis in regione Rheni hauriri possunt est litteratura Begguinarum. Cum sciamus monasterium Steinfeldense in genere, et Hermannum nostrum in specie, multum occupatum fuisse in curis spiritualibus conferendis piis talibus mulieribus, mirum non est similitudines deprehendi inter litteraturam ad illud ambiens pertinentem et « Vitam » Hermanni.

Elementa mystica — uti nostris temporibus dicere solent — multae adsunt in « Vita » Hermanni. Inhaeret Hermannus amoru tenerimo erga Christum, et quidem potissimum in quantum Iesus quae infans in mundo apparuit. Amori Christi amor animae Sibi devotae correspondere debet. Elementa talia inveniuntur etiam in scriptis Adami Scoti. Et ea quae leguntur in hymno noto « Summi regis cor aveto » cuius authentia hermanniana non ab omnibus admittitur, cohaeret absque ullo dubio cum iis quae uti distinctiva « vitae spiritualis » Hermanni aliunde constant.

Eminet insuper Hermannus iuxta « Vitam », devotione erga Dei Genitricem. Sub triplici respectu Deipara potissimum consideratur: aetate equitum, devotio ad Sacram Virginem est servitium fidelissimum erga illam quae perfectionem muliebre ad apicem duxit; adest insuper thema maternitatis et thema matrimonii mystici. Iure quaeri potest ubinam Hermannus themata illa invenerit. Sane in eius mente gratia repleta. Sed elementa quaedam determinativa addi possunt. Notum est enim Canticum Cantorum (cuius Hermannus dicitur composuisse interpretationem deperditam) tunc generatim (etiam a S. Bernardo) ita explicari ut in illo libro sacro sermo esset de unione inter Christum et Ecclesiam. Philippus noster de Harvengt Canticum vero explicat uti epithalamium inter Christum et Mariam. Eadem quidem explicatio habetur in scriptis Ruperti Tuitiensis (Rupert von Deutz). Cum autem in « Vita » Hermanni, sicuti in scriptis Philippi nostri de Harvengt adsint plurimae alliterationes, antitheses et varii lusus verborum, non videtur impossibile scripta Philippi de Harvengt nota et perlecta fuisse in Steinfeld et ab ipso Hermanno.

Hermannus insuper valde deditus erat cultui SS. Ursulae et Sociarum; de quibus litteratura pia, maxime in regionibus Rheni, multum occupabatur. Mirum proinde non est Hermannum martyrium

illarum in mente habuisse et addictum fuisse cultui reliquiarum illarum.

Ex iis quae de Hermanno in « Vita » eius narrantur, tandem conclusiones erui possunt quantum ad mentem theologicam tunc vigentem in monasterio Steinfeldensi. Eo tempore nova tendentia caepit vigere in scholis theologicis, quae signanter ab Abaelardo energice defendebatur. Alii vero huic methodo magis speculativo-rationali minus faventes, vias traditionales sectabantur. Ita S. Bernardus (idem ab Abaelardo affirmatur de S. Norberto); schola S. Victoris. Ita Rupertus Tuitiensis; Adamus Scotus; Philippus de Harvengt. Idem deprehenditur mentis habitus in Steinfeld. « Wir haben Steinfeld nicht etwa unter bedeutende Zentren theologischer Bildung einzureihen, sondern müssen in dieser Eifelabtei die Zelle einer religiösen Gemeinschaft sehen, die eine bestimmte geistige Prägung erfahren hat durch den Augustinismus und die konservative Theologenschule der Viktoriner » (p. 310).

Idem dicendum videtur de elementis quibus nutritur vita mystica B. Hermanni. « Sie ist nicht von theologischer Perspektive. Seine Kontemplation wählt den indirekten Weg über die Betrachtung der Schöpfung, den in der Eucharistie gegenwärtigen Gottmenschen, die Gottesmutter. Poesievolle Marienmystik dominiert » (p. 310).

Cum tandem ex nonnullis annotationibus « Vitae » appareat confratres Steinfeldenses non in omnibus probare ea quae in decursu illius vitae mirabiliter eveniebant, quaeri potest quousque considerationum illa diversitas sese extenderit? Ita respondum videtur: « Dass es hier eher um ein gesundes Misstrauen gegenüber mystischen Phänomenen und intensivierter Religiosität handelt als um eine grundsätzliche Distanzierung von der geistigen und religiösen Welt des Mitbruders » (p. 311).

Modus quo « Vita » B. Nostri Hermanni composita fuit proinde absque dubio plura manifestat circa modum specificum quo è Hermannus ipse è confratres Steinfeldenses medio saeculo decimo sexto prosecutio sanctitatis concipiebant; seu, ut nostris temporibus dicere solent, de « spiritualitate » Hermanni et Steinfeldensium illius aetatis.

P. S. — Cum folia ista iam praelo essent commissa, prodiit K. KOCH - E. HEGEL, *Die Vita des Prämonstratensers Hermann Joseph von Steinfeld*, Coloniae, B. Pieck-Verlag, 1958, pp. 130.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.